

REX B-1833

HYMENÆUS
IN FESTIVITATEM NUPTIALEM

Viri Reuerendi & Clarissimi

ERICI BUURE,

Pastoris Ecclesiæ Fennon. Narv.
vigilantisimi,

Et Lectissimæ Matronæ

ANNÆ MARIÆ
JACOBI,

B. HERMANNI KOKII viduæ

Narvæ diē 5. Julii Anni
MDCXCVIII.
celebratam.

*Carminē Anacreontico
dictus ab*

A. M. R. S. D. R.

NARVÆ, Literis JOH. KÖHLERI, REG. TYPOGR.

O Lux amœna Salve!
Tot postulata votis,
Tot expetita curis,
Et tot notata signis,
Quæ lâmpades recentes
Accenderas, quibus jam
Dicata nuptiarum
Sacris domus refulget.
Salve! Serene Salve!
Index Sereniorum
Sub corde gaudiorum!
Salve dies ERICO,
Desiderata dudum,
Votisq; flagitata,
Quæ Conjugem pudicam,
Castam, probam, venustam,
Et omnibus decoris
Virtutibus nitentem,
Vi fœderis jugalis
Jam subjicis marito,
Et vinculo perenni
Casti tori revincis.
Nunc ergo Sponse gaude,
Præ gaudioq; salta.
Nunc carpe gaudiorum
Fructus diu cupitos
Nunc voce psalle lætâ,
Nunc lætiore vultu,
Lætissimoq; corde
Iö triumphâ! psalle.
Nam quem Tibi Cupido
Præfixit, attigisti

Tan-

Tandem scopum, secundis
Cæli notis molesto
Cursu tuo peracto.
Iö triumphâ! psalle,
Et Sume Sponse Sponsam
Blandissimis lacertis,
Amplexibusq; castis
Sub corde fer tepente,
Labris labella jungens.
O Svavitas amœna!
Amœnitasq; Svavis!
Hac luce, *Vos amantes,*
Quæ vestra corda sepsit.
Nunc ergo dum caletis,
Blandos inite ludos,
Quos imperat Cupido,
Quos postulant amores,
Quos flagitatis ipsi.
O expetita pugna!
O delicata lucta!
O Svavis O amœna
Jucunditas amoris!
O ardor! in medullis
Qui fervet absq; fine,
Et cogitationes
A seriis remotas
Reflectit in lepores,
Risus, sales, cachinnos,
Lusus, jocos, amores,
Queis diffluunt amantes,
Hæc donec assequantur
Desiderata vota.

Sed

Sed quo Thalia pergis?
Nos avocant labores
Queis usq; distinemur,
Qui persequi recusant
Dulcedines amoris.
Hinc cum tacere præstat
Meum Hocce recondo plectrum,
Atq; hocce fisto.

Votum :

Cæli supreme Rector,
Felicitatis Auctor,

Qui jure conjugali
Presentium duorum
Conjunxeris amores,

Illos tuo favore
Dignare perbenigno.

Averte longè ab illis
Infausta cuncta, castos

Que pollunt amores,

Que dividunt amores

Que frigerant amores

Procul, procul relega.

O Stator alme mundi

Viteq; conjugalis

Fac Numinis sub umbra

Ut in quiete dulci

Torum queant venustum

Ornare prole pulcra.

